

Et socius sanctis famulis tuis, et timeam te,
 190 Et placeam dum vivo tibi, nec sim reus illo
 Tempore, cum stetero meriti memor ante tri-
 [bus].
 Christe, tuum : vereque colam quod prædicto
 [nomen].
 Crux tua fronte, manu, labiis, crux intima sidat.
 Crux clypeata domus, crux sit lorica salutis,
 195 Hoc melius signo fulgebit lucida turris,
 Quam cum sacrilego polluto cruento maderet.

EXPLICIT.

INCIPIUNT ORATIONES ORIENTII

NUMERO XXIV.

Tibique, Domine, celum Cherubim dicatum est,
 Et illa molis quadrigiformis machinæ
 Te sempiterno confitentur carmine,
 Et nos imago consonantis cantici
 5 Amen sonamus, alleluia dicimus.
 Te septem primi deprecantur angeli,
 Seu civitatis septem principes viri,
 Solio propinquui, janitores proximi :
 Et nos imago consonantis cantici
 10 Amen sonamus, alleluia dicimus.
 Te solis astrum cum sorore menstrua,
 Vergilie, Jugula, Vesperugo, Lucifer,
 Omnesque guttae præmiantes invocant :
 Et nos imago consonantis cantici
 15 Amen sonamus, alleluia dicimus.
 Aer aquosus sive sudus invicem,
 Simulque venti, pluviae, grando, flumina,
 Ritu suomet conditorem concinunt :
 Et nos imago consonantis cantici
 20 Amen sonamus, alleluia dicimus.
 Solum stativum cum fertura mobili
 Que paret homini, quæque capta de una,
 Tibi cantat uni, conticescit cæteris :
 Et nos imago consonantis cantici
 25 Amen sonamus, alleluia dicimus.
 Oceane, qui cinctam coeres aream,
 Et intestini fossa media gurgites,

Versu 2. Pro moles juxta observationem supra adnotatam.

Versu 31. Forte furva.

Versu 41. Forte quem lædit.

A Deum sonantes cum marinis belluis:
 Et nos imago consonantis cantici
 30 Amen sonamus, alleluia dieimus.
 Infernae sedis flamma, fulva tartara,
 Trucesque præsidentes pariter angeli,
 Amen minaci decantantes carmine :
 Et nos imago consonantis cantici
 35 Amen sonamus, alleluia dicimus.

INCIPIT XXIV.

Postremo dico deprecandi canticum,
 Id facio quantum per xx cantica,
 Sed ne quis audax interpellet quippiam :
 Anguem magistrum falsitatis increpo,
 Ut non adjiciat sive demat litteram.
 Quod si quemquam kredit spiritalis lectio,
 Et nechit lectionem spernere,
 Non commutare lectionis formulam :
 Anguem magistrum falsitatis increpo,
 45 Ut non adjiciat, neve demat litteram.
 Scripтор errat in mutanda littera,
 Ignarus errat; venia Christo, si præsto est :
 Nam non voluntas, verum dextra habitur.
 Anguem magistrum falsitatis increpo,
 50 Ut non adjiciat, neve demat litteram.
 Ad illos homines interdictum pertinet,
 Qui voce vera nominantur physici :
 Si non probatis, præterire liberum est.
 Anguem magistrum falsitatis increpo,
 55 Ut non adjiciat, neve demat litteram.
 C Et nos a face ethnicorum emersimus,
 Eamque tandem rupimus caliginem,
 Dum spiritales exaudimus angelos.
 Anguem malignum. . . .
 60 De signo, sextum præcavendam spiritu
 Mortis Dei prophetas instrumenta demonum.
 Numæ et mortis semper in sæculum.
 Deus sancte, te rogamus Patrem Unigeniti,
 Christe Deus, te precamur vivum Dei Filium,
 65 Sancte Christe, te obsecramus judicem verum
 [Deum.]

EXPLICIT ORATIO XXIV.

D Orationes viginti quatuor composuerat Orientius ex titulis. At primam tantum et ultimam exhibet noster codex manuscriptus.

ANNO DOMINI CCCCLXXX.

SANCTUS AUSPICIUS

EPISCOPUS TULLENSIS.

EPISTOLA

AUSPICI EPISCOPI ECCLESIE TULLENSIS AD ARBOGASTEM

COMITEM TREVIRORUM.

Præcelso exspectabili his Arbogasto comiti,
 Auspicius qui diligo, salutem plurimam.

Magnas cœlesti Domino rependo corde gratias,
 Quod te Tullensi proxime magnum in urbe vidimus.
 Multis me tuis actibus letificabas antea,
 Sed nunc fecisti maximo me exsultare gaudio.
 Major etenim solus apparuisti omnibus,